

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Bellum ab
cum fonte primo

Nunquam credo potuisse dubitari
aptiorem armis rusticam plebem que
sub diuo et in labore nutritur,
solis paciens, umbre negligens,
balneorum nescia, deliciarum ignara,
simplicis animi, paruo contenta,
duratis ad omnem laborum tolerantiam membris
cui gestare ferrum, fossam ducere,
onus ferre, consuetudo de rure est,

et solem pulueremque ferre non timeat.

Ex agris ergo supplendum robur
precipue uidetur exercitus.
Nescio quomodo non minus mortem timet
qui minus deliciarum nouit in uita.

Vegecius ibidem (de re militari libro I. capitulo III.).

De qua parte

numquam credo potuisse dubitari
aptiorem armis rusticam plebem,
quae sub diuo et in labore nutritur,
solis patiens, umbrae negligens,
balnearum nescia, deliciarum ignara,
simplicis animi, parvo contenta,
duratis ad omnem laborum tolerantiam membris,
cui gestare ferrum, fossam ducere,
oonus ferre, consuetudo de rure est.

Interdum tamen necessitas exigit etiam urbanos
ad arma compelli; qui ubi nomen dedere militiae
primum laborare, decurrere, portare pondus
et solem pulveremque ferre condiscant,
parvo victu utantur et rustico, interdum sub diuo
interdum sub papilionibus commorentur.

Tunc demum ad usum erudiantur armorum,
et si longior expeditio emergit in agrariis
plurimum detinendi sunt proculque habendi
a civitatis inlecebris, ut eo modo
et corporibus eorum robur accedat et animis.
Nec inficiandum est post urbem conditam
Romanos ex civitate profectos
semper ad bellum, sed tunc nullis voluptatibus,
nullis deliciis frangebantur;
sudorem cursu et campestri exercitio
collectum natans iuventus abluebat in Tiberi;
idem bellator, idem agricola,
genera tantum mutabat armorum;
quod usque adeo verum est
ut aranti Quintio Cincinnato
dictaturam constet oblatam.

Ex agris ergo supplendum robur
praecipue videtur exercitus.
Nescio quomodo enim minus mortem timet
qui minus deliciarum novit in vita.

Publius Flavius Vegetius Renatus, *Epitoma rei militaris*, 1.3.1-5 (M.D. Reeve ed., pp.7-8, ll.17-25, 1-19).